



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid sit Episcopus, secundum Apostolum & scripturam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

est Christum offerre diabolo, & diuinam virtutem transferre ad voluntatem diaboli: id quod grauissimum est peccatum. Si ergò in eum finem vtamur sacramentalibus, vt nos vt per ea moneamur venerationis Dei, vtque tantùm à virtute nominis Dei spectetur fructus & efficacia ad formam orationis, salutare est & minimè contra Deum, etsi rumpantur furtijs aduersarij. Non sunt res ita necessariae, vt nemo sine illis possit saluari: fateor: tamen propter simplices, vt semper in oculis & vsu habeant, quo Dei recedantur, pietas accendatur, fiducia in Deum erigatur, Deus laudetur, & Sathanas hisce rebus inimicus tantùm flagellis repellatur, haudquaquàm sunt contemnenda. Sepè etiam efficaciam diuinæ virtutis per hæc miraculosè operatam esse, compertum est: Nutritur autem maximè per hæc deuotio & contemplatio nominis & gloriæ Dei.

CAPVT XVII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Episcopus secundum Apostolum & scripturam.*
2. *Qualis sit eligendus in Episcopum.*
3. *Quid illi debeant subditi, scilicet honorem, obedientiam, prouisionem.*

Apostolus i. Corinth. 4. exponit, quid sit Episcopus, inquit: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei. est enim Episcopus Speculator aut superintēdens. vnde Hier. 6. Constitui super vos speculatores, Græcè *σχοποῦς*, audite vocem tubæ: & sic dicitur, quia semper intendere debet salutem plebis

plebis sibi commissæ: est enim dispensator ministrorum Dei, id est, docere debet Euangelium & prædicare populo Marc. ultimo & Matth. vlti. absolucere & ligare, atque sacramenta ministrare, & pauperum Christianorum curam agere, & in eum finem dicit Apostolus 1. Timot. 3. Qui Episcopatum desiderat, id est, hoc officium, curam & labores pro salute simplicium, bonum opus desiderat: placet enim Deo maxime hoc officium Episcopi, quando quis hoc non facit propter suam gloriam, aut commodum aut dignitatem, sed ad laudem Dei & salutem simplicium, qui quærit fructum, non lanam ouium. Vnde dicitur apud Prophetam: Væ pastoribus qui pascunt semet ipsos &c. qui labores suscipit propter Deum & utilitatem gregis sui, non propter dignitatem vel diuitias aut honorem. Est igitur Episcopus dispensator rerum æternarum per ministerium verbi & sacramentorum, scilicet iustitiæ æternæ, Charitatis, Spiritus sancti, vitæ æternæ, remissionis peccatorum &c. hæc enim dispensantur per prædicationem, & fidè accipiuntur à fidelibus, Gala. 3. aut ex auditu fidèi vel legis &c. Gubernatio igitur rerum corporalium, ciuitatum ac legum pertinet propriè ad politicam administrationem, quæ res alia est à dispensatione rerum spiritualium. Si igitur Episcopi habent potestatem gladij, hanc non habent vt Episcopi ex mandato Euangelij, sed iure humano, donatam à regibus & imperatoribus ad administrationem ciuilem suorum subditorum & bonorum, ad sustentationem ministrorum &c. Proprium autem officium Episcopi est, docere seu scripto seu ore, ordinare, remittere peccata, & ligare impœnitentes, administrare sacramenta, &c.

2. Secundo dicit Apostolus 1. Timot. 3. & Tit. 1. notari qui sint eligendi in Episcopos Ecclesiæ: nam eligebantur olim ex ciuibus probatissimis, qui erant optimæ famæ & doctriinæ, sicut nunc Consules eliguntur.